

# De reservatione casuum ratione sui

## I.—NOTIO RESERVATIONIS

Reservatio idem sonat ac aliquid in partem ponere, excipere, specialiter custodire, locum alicui particularem destinare (v. g. reservationem loci in curro ferre), causam aliquam a determinato iudice vel tribunali tractandam, etc.

IURE ECCLESIASTICO, significat actum, quo superior pro se retinet aliquid, ut quandam facultatem, determinatum ius, quorum exercitium inferioribus cedere potest. Sic.

a) Papa, quia omnimodam habet potestatem in Ecclesia, ius quoque Ipsi competit cognoscendi omnia negotia ecclesiastica sive *per seipsum immediate*, sive *mediate per alios*. Sed, si agitur de causis ad privilegium infallibilitatis spectantibus, nullo modo potest eas delegare: v. g. definitiones dogmaticas fidei et morum vel causas factum dogmaticum tangentes, quas per seipsum solvere debet. Ideo hae appellantur *Causae Maiores per se et essentialiter*<sup>1</sup>. Aliae causae, appellatae *Maiores*, accidentaliter reservantur S. Sedi hoc sensu, quatenus Romanus Pontifex per alios expedire potest.

b) Epicopi in suis dioecesis, attentis canonum dispositionibus, plura sibi reservare possunt in omnibus negotiis ecclesiasticis, etiam quoad matrimoniorum celebrationem.

c) Superiores Generales religiosorum, praesertim exemptorum, et Abbates Monasteriorum *sui iuris*, attentis propriis Constitutionibus, quibusdam in rebus reservationes quoque respectu suorum subditorum facere possunt.

## II.—CLASES RESERVATIONUM IN VIGENTE CIC S. SEDI ASSIGNATAE

Quae uti praecipuae censentur, sunt quinque: *doctrinales, disciplinares, beneficiales, administrativaes, iudiciales*. De singulis brevissime dicemus; non de iis est res nostra.

<sup>1</sup> Card. CAVAGNIS, *Institutiones iuris publici ecclesiastici*, t. 2<sup>4</sup>, p. 119.

a) *Doctrinales*, scilicet Sto. Officio, cui preest ipse Papa, reservatae; ut sunt causae ad fidem, mores pertinentes; quae quocumque modo ad privilegium, ut aiunt, paulinum, et matrimonii impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur, libros excutere eorumque divulgationem, lectionemque prohibere aut concedere, et alia plura in aliis rebus disponere (c. 247).

b) *Disciplinares*, ut leges universales ferre in eisque sive per se sive per alios dispensare (c. 81); conventiones cum nationibus iniire (c. 3); dispensare a votis publicis, a duobus privatis perfectae et perpetuae castitatis et ingrediendi in religionem votorum solemnium emissis post completum decimum octavum aetatis annum, et a matrimonio rato et non consummato<sup>2</sup>; statuere irregularitates sive ex delicto sive ex defectu et impedimenta ad ordinum susceptionem<sup>3</sup>.

c) *Beneficiales*, quae olim magnum momentum in Ecclesia haberunt, speciatim reservationes beneficiales, appellatae «reservationes apostolicae». Nunc in Hispania ex decreto concordato inter Sanctam Sedem et Gubernium hispanicum, die 16 iulii a. 1946, circa provisionem beneficiorum non consistorialium reservatur S. Sedi collatio dignitatis Cantoris in omnibus Ecclesiis Catedralibus, ex art. 3, § 2, citati decreti sic aiente: «La Provisión de la dignidad de Chantre corresponderá siempre a la libre colación de la Santa Sede»<sup>4</sup>. In IC erectio beneficiorum consistorialium S. Sedi reservatur c. 1414, § 1.

d) *Administrativaes*, praesertim relate ad personas morales, ut provincias ecclesiasticas, dioeceses, praelaturas nullius, etc. erigere, aliter circumscribere, unire, dividere, supprimere (c. 215). Idem dic de capitulis cathedralibus et collegialibus (c. 392) et de Institutis religiosis et de Monasterii sui iuris separatione a sua Congregatione monastica (cc. 492-498). Reservatur quoque Papae nominatio Cardinalium, Metropolitanorum, episcoporum aliorumque similium<sup>5</sup>.

Sunt etiam plurimae causae administrativaes S. Sedi reservatae ratione concessionis indulgentiarum, alienationis bonorum propter valo-

<sup>2</sup> Cf. cc. 1309, 1962-1963, § 1.

<sup>3</sup> Cf. cc. 983-985, 987.

<sup>4</sup> Cf. «Ecclesia», 20 de julio (1946), a. VI, p. (63)-7. La misma Santa Sede, previa presentación unipersonal del Jefe del Estado español, nombra siempre la dignidad de deán de los Cabildos metropolitanos y sufragáneos; las demás dignidades de estos mismos Cabildos, alternativamente; a) por libre colación, y b) presentación del Jefe del Estado, así como los abades de los Cabildos colegiales (art. 3, nn. 1.3.4 del citado Convenio). En el art. VII «consiente la S. Sede en que no se apliquen las prescripciones del can. 1.435, § 1.<sup>o</sup>, nn. 1.<sup>o</sup>, 2.<sup>o</sup> y 4.<sup>o</sup>, cuando, según los términos del presente Convenio, la provisión de un beneficio no consistorial tenga lugar previa presentación del Jefe del Estado» (En «Ecclesia», l. c., p. 8-61).

<sup>5</sup> Cc. 232.272.329, § 2, 312.320.332.350.

rem artisticum aut historicum vel materiale quantitativum, reductionis missarum et reductionis, moderationis et commutationis ultimorum voluntatum, nisi fundator hanc facultatem etiam Ordinario loci expresse concesserit<sup>6</sup>.

*Iudiciales.* Solus Romanus Pontifex iudicare potest eos qui supremum tenent populorum principatum horumque filios ac filias eosve, quibus ius est proxime succedendi in principatum; PP. Cardinales, Legatos Sedis Apostolicae, et in criminalibus episcopos, etiam titulares, et in omnes hos poenam infligere aut declarare (cc. 1557, § 1, et 2227, § 1). Alias causas contentiosas episcoporum, dioecesium, etc., committit Tribunalibus S. Rotae Romanae aut Signaturaee Apostolicae.

In foro *interno* sive extrasacramentali sive sacramentali causae aguntur apud Tribunal Sacrae Poenitentiariae, quando Papae sunt reservatae. Versari solent eae causae circa condonationes, commutations, dispensationes, sanationes actuum et praecipue absolutiones a censuris Sanctae Sedi reservatis et ab unico peccato *ratione sui* eidem reservato (c. 258 et 894).

Praeter has classes reservationum Apostolicae Sedi in IC assignatas dantur quoque reservationes statutae ab Episcopis, Superioribus generalibus religionis clericalis exemptae et Abbatibus monasterii sui iuris. Inter reservationes, quas ii omnes statuere possunt, unica, quae nobis nunc interest, est *reservatio peccati ratione sui* communiter appellata. De hac igitur unice agemus; tamen, ut eius natura melius et plenius intelligatur, quandoque de reservatione peccati *ratione censurae mentionem faciemus.*

### III.—DISTINCTIO INTER RESTRICTIONEM SIMPLICEM IURISDICTIONIS ET RESERVATIONEM CASUUM SEU RESTRICTIONEM IURISDICTIONIS ABSOLVENDI SACRAMENTALITER A CERTIS PECCATIS

A) *Quid restrictio iurisdictionis simpliciter dicta.* Est quaelibet limitatio potestatis absolvendi sacramentalitar a peccatis. Haec autem potestas seu iurisdictio, cuius obiectum divisibile est et libera voluntate confertur, variis modis limitari potest.

1. *Quoad personas*, si sacerdos accipit *potestatem* audiendi confessiones et absolvendi pro tota dioecesi, exceptis v. g. monialibus, vel sororibus, vel etiam feminis (c. 878, § 1). In Italia saltem pluribus in dioecesisibus, et in aliis Europae nationibus, neosacerdotibus confertur generatim iurisdictio ad audiendas tantum virorum confessiones.

2. *Quoad locum*, si quis in tali ecclesia aut sacello, vel paroecia aut districto seu vicariato foraneo tantum confessiones excipere potest.

<sup>6</sup> Cf. cc. 1551, § 1, 1517.

Sic parochi, *vi muneris*, pro sola sua paroecia iurisdictionem accipiunt, quae ex consuetudine vel ex delegatione ad totam dioecesim extendi solet. In Hispania ex consuetudine ad totam dioecesim extenditur.

3. *Quoad tempus*, si confertur iurisdictio ad semestre, ad annum, biennium, quinquennium, quo elapso, iurisdictio ipso facto cessat; sed actus (absolutio nempe) per inadvertentiam in his adjunctis positus validus est (c. 207, §§ 1, 2); pro tali casu a iure prorrogatur tunc iurisdictio. Generatim neosacerdotibus ad annum conceditur iurisditio, quae, durante saltem triennio<sup>7</sup> examinum post susceptum sacerdotium subeundorum ab examine prorrogatur ad sequens examen, quo ultimo praestito, determinatur tempus iurisdictionis concessae, nisi haec in perpetuum elargiatur. Haec autem iurisdictionis restrictio valorem absolutionis afficit; delegatus enim solum habet quod a delegante recipit.

4. *Quoad certa peccata bene determinata*, quorum absolutionem Romanus Pontifex vel Episcopi, Generales in religione clericali exempta aut Abbates monasterii sui iuris sibi vel peculiaribus delegatis reverant.

Haec specialis restrictio iurisdictionis est *reservatio casuum proprie dicta* (cc. 893-899), de qua a nobis hic erit agendum.

5. *Existunt quoque censurae reservatae*, quarum vincula a solis superioribus aut ab eorum delegatis solvuntur. Ex iis quaedam, ut excommunicatio aut interdictum personale, impediunt sacramentorum receptionem et in eam incursus, antequam ad sacramenta recipienda accedat, ab ea absolvi debet a potestatem seu iurisdictionem habente.

B) Iam a limine notare opportet hanc restrictionem iurisdictionis quoad *personas, locum, tempus*, non esse proprie reservationem casuum. Nam haec proprie dicta afficit necessario peccata aliqua vel censuras. Tamen otroque modo fit limitatio iurisdictionis:

a) *Restrictione*, dum iurisdictio confertur;

b) *Reservatione*, dum *censura*, servatis a iure praescriptis, fertur, vel peccati remissio avocatur ad superioris iudicium sive per legem sive per praeceptum. Reservatio casuum, igitur, discriminatur a simplici restrictione iurisdictionis ut species a genere.

#### IV.—DE RESERVATIONE CASUUM

A) **DEFINITIO.**—*Reservatio casuum* est actus legitimi Superioris nonnullos casus (peccata vel censuras) ad proprium iudicium avocantis et inferioribus ab ipsis absolvendis potestatem limitantis» (c. 893, § 1).

<sup>7</sup> Cf. c. 130, § 1.

Dicitur *actus*, id est, lex vel praeceptum, in quibus exponitur et determinatur elenchus casuum, quorum absolutionem superior sibi reservat.

b) *Legitimi Superioris*, seu eius qui talem potestatem a iure habet, de quibus infra dicemus.

c) *Casus*, id est, peccata vel censurae, aut peccata simul et censurae. Et additur *nonnullos*, quia non expedit ut omnia peccata gravia, sed tantum quaedam *atrociora* reserventur, sicut nec omnes censurae, sed aliquae in poenam *atrociorum* criminum impositae.

*Peccata reservata*, independenter a censura, appellantur *reservata ratione sui*, ut diximus. Horum reservatio tollitur per *directam absolutionem ipsius peccati, qua reservati*.

*Peccatum reservatum propter censuram*, quae illud supponit, dicitur *reservatum ratione censurae*. Haec peccata amittunt reservationem per *absolutionem censurae* vel *excusationem* ab ea incurrenda (c. 2246, § 3).

d) «*Ad proprium iudicium avocantis et inferioribus ab ipsis absolvendis facultatem limitantis*». In his verbis continentur quatuor reservationis notae pree oculis habendae:

a) Quod Superior est iudex *per se* absolvens a reservatis; b) quod confessarii inferiores, nisi a Superiore legitimo delegentur, carent tali facultate; c) quod reservatio afficit *immediate* confessarium, non poenitentem; d) quod nemo potest sibi peccata vel censuras reservare nisi pro suo proprio territorio si agitur de Ordinario locorum, vel pro suis subditis si de Superioribus religiosorum exemptorum et Abbatum monasteriorum *sui iuris*.

Tamen a) non omnis limitatio potestatis in confessario est reservatio, ut modo dicebamus: v. gr. limitatio ad solas hominum confessiones audiendas; b) *nec omne peccatum*, cuius absolvendi potestas determinato confessario aufertur, est *reservatum*: v. gr. *complicitatis in peccato turpi*: sed ea limitatio iurisdictionis quae omnibus generaliter imponitur quoad aliquos casus, et praecise ut ii casus ad superius iudicium avocentur. Ex his patet duas esse notas reservationis: 1.<sup>a</sup> quod peccatum vel censura ad iudicium superioris avocentur; 2.<sup>a</sup> quod *generaliter* restringatur inferioribus facultas absolvendi a reservatis.

B) CASUUM RESERVATIO ADMODUM RATIONABILIS EST, sicut iam docuit Tridentinum: «*Magnopere ad christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus visum est ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolverentur*» (DB n. 903), qui maiori auctoritate, prudentia et efficacibus remediis ad bonum communitatis et particularium prospicere possunt. Hoc etiam in societatibus civilibus locum habet. Sunt enim in societate civili causae, quae apud tribunalia Superiora tantum pro-

poni possunt. Non, igitur, mirandum est de reservatione peccatorum in Ecclesia existente.

### C) DIVISIO.

1.<sup>o</sup> *Ratione auctoris.* In Papales, episcopales et religiosos: a) *Papales* sunt casus, quos Papa sibi vel aliis, sc. Ordinariis absolvendos reservat in ipso Codice iuris canonici vel per dispositionem particularem: v. gr. violationes secreti St. Officii. b) *Episcopales* sunt casus sibi reservati ab Ordinariis locorum pro suo cuique territorio. c) *Religiosi*, si a Supremis Moderatoribus religionum clericalium exemptarum vel ab Abbatibus Monasteriorum *sui iuris* pro suis quoque subditis reservantur.

2.<sup>o</sup> *Ratione obiecti directe reservati*, alii casus sunt reservati: a) *ratione sui seu directe* si ipsum peccatum *in se et immediate* reservatur, sive habeat sive non censuram adiectam; b) *ratione censuare seu indirecte*, si non ipsum peccatum *in se*, sed censura illi adnexa *immediate et per se* reservatur, quaeque impedit sacramentorum receptionem, ita ut, si censura non incurrit vel absolvatur, peccati reservatio non detur vel cesse (c. 2246, § 3). Censurae receptionem sacramentorum impedientes sunt excommunicatio et interdictum personale, non suspensio (c. 2260, § 1; c. 2275, 2.<sup>o</sup>). Si episcopus peccatum aliquando sibi cum censura reservat, talis casus censetur, sicut casus papalis, ratione censurae reservatus. 3.<sup>o</sup> Reservatio peccatorum ratione sui confundi non debet cum reservatione eorum ratione censurae, licet intima inter utramque reservationem existat relatio et non parva in multis equiparatio. De his agitur in tractatu de censuris; hic nunc agimus de peccatis *ratione sui* reservatis.

## V.—HISTORIA RESERVATIONIS

Primitus Ecclesiae temporibus, salvis paucis exceptionibus, solus episcopus erat confessarius et oeconomus poenitentiarius sua dioecesis. Ita SS. PP. et scriptores ecclesiastici testantur. S. Ignatius antiochenensis, initio saeculi II, in epist. *ad Philadelph.*, c. VIII, scribit: «Omnibus igitur peccatoribus dimitit Dominus: si poeniteant in unitatem Dei et concilium episcopi»<sup>8</sup>. *Didascalia Apostolorum*, originis syriacae,

<sup>8</sup> D. RUIZ BUENO, *Padres Apostólicos*<sup>3</sup> (BAC), t. 65, p. 480: MG 5, 704: Cf. ibid. version, in *Vetus Interpres* c. VIII. S. Ignatius alludit ad confessionem publicam. Primitus enim Ecclesiae saeculis duplex erat confessio: *secreta*, in qua generaliter confitebantur peccata secreta; *publica*, in qua accusabantur peccata notoria et aliquando, sed raro, peccata secreta ob humilitatem. Ecclesia numquam probavit exigentiam confitendi publice peccata secreta. S. Leo M. talem agendi modum reprobavit Episcopis Campaniae *ut contrarium apostolicae regulae*. Poenitentia publica numquam fuit reprobata ab Ecclesia. Plene disparuit cassatione (Cf. E. JOMBART, Dic. de Droit Canon., t. IV, col. 47.)

saec. III, «unicum iudicem conscientiarum agnoscent episcopum»<sup>9</sup>. Saec. IV, idem regimen agnoscent in Syria *Constitutiones apostolicae*, l. 2, c. XV, nam postquam exhortatae sint episcopos, quod iuxta prophetam Isaiam consolentur et adhortentur peccatores, ad poenitentiam eos impellentes, addunt: «Libenter, igitur, poenitentes suscipe; de eorum conversione laeti; peccatores cum misericordia et miserationibus iudicate»<sup>10</sup>.

*In Africa* eadem vigebat disciplina initio saec. III, testante TERTULIANO: «ab episcopo veniam delictorum consequi poterit»<sup>11</sup>. ORÍGENES: «Israelita si peccet, id est laicus, ipse suum non potest auferre peccatum, sed requirit levitam, indiget sacerdote, imo potius et aliquid eminentius quaerit; pontifice opus est, ut remissionem peccatorum possit accipere». *Pro sacerdote* intelligendus est episcopus: ait enim infra (col. 638): «qui sancti sunt... purificationem per Pontificem quaerunt»... «sanctus est qui peccatum suum per pontificem curat»<sup>12</sup>.

*In Hispania*, saec. IV, S. Pacianus, Episcopus Barcinonensis, alium Poenitentiae ministrum non agnoscit praeter episcopum. Ideo cum loquitur de confessione *per sacerdotes Dei* intelligendus est *per episcopos Dei*<sup>13</sup>. Imo in ipso seculo IV in Hispania ita minister reconciliationis proprius est solus episcopus, ut non quis sit, sed unice ille qui excommunicationem imposuit. Hoc patet ex Conc. Caesaraugustano I (a. 380), c. 5: «Item lectum est: Ut hi, qui per disciplinam aut sententiam episcopi ab Ecclesia fuerunt separati, ab aliis episcopis non sint recipiendi: quod si scientes episcopi fecerint, non habeant communionem. Ab universis episcopis dictum est: Qui hoc commiserit non habeat communionem»<sup>14</sup>. Etiam proponitur episcopus ut unicus reconciliationis minister in Conc. Ilerdensi (a. 546) in canonibus 9.10.11 collatis cum 16<sup>15</sup>; et in Conc. Hispalensi II (a. 629), can. 7<sup>16</sup>.

<sup>9</sup> Cf. Versionem NAU, in *Canoniste Contemporain*, avril 1901, p. 112-113.

<sup>10</sup> Cf. MG 1, 166.

<sup>11</sup> *De pudicitia*, c. 18: ML 2, 1017.

<sup>12</sup> *In Numer.*, homil. X, c. 1: MG 12, 635.638.

<sup>13</sup> *Epist. 1 ad Sympronianum*, c. VI: ML 13, 1057.

<sup>14</sup> ML 84, 316; MANSI, *Sacror. Canon. Nova et Amplissima Collectio*, t. 3, col. 635. Disciplinam huius can. 5, Conc. Caesaraug., retinent Conc. Bracarense I (a. 561) in capite (can.) 15 et Conc. Bracar. II (a. 572) in *Capitularia Martini* n. 84. Praeterea, hoc Conc. II, in capitulo 63 designat episcopum uti ministrum reconciliationis. Cf. ML 84, 567, 583, 586; MANSI, o. c., 9, 778-779, 860, 859: N. B. MANSI pro Conc. Bracar. I et II ponit II et III et pro a. 561 Conc. I a. 563.

<sup>15</sup> ML 84, 324-325; MANSI, 8, 613-615.

<sup>16</sup> ML 84, 596-597; MANSI, 10, 559.

*In Gallia* Conc. Andegavense (453), can. 12, statuit: «Perspecta qualitate peccati secundum episcopi aestimationem erit venia largienda»<sup>17</sup>.

*In Italia* eodem tempore scribebat S. AMBROSIUS, *De poenitentia*, l. 1, c. 2, n. 7; adversus novatianos: «Ius enim hoc [remitendi et retinendi peccata] solis permisum est sacerdotibus» id est episcopis<sup>18</sup>. Et S. LEO M., Summus Pontifex ab a. 440-461, docet: «Christum Iesum hanc Praepositum Ecclesiae tradidisse potestatem, ut et confitentibus peccatoribus actionem poenitentiae darent et eosdem salutari satisfactione purgatos per ianuam reconciliationis admitterent»<sup>19</sup>. Quod iam docuerat a. 416 S. INNOCENTIUS I in Epist. ad DECENTIUM EUGUBINUM c. 7; nam describens poenitentiam *Ecclesiae Romanae* Consuetudinem addit; «Caeterum de pondere aestimando peccatorum sacerdotis est iudicare, ut attendat ad confessionem poenitentis»<sup>20</sup>.

Certum est saeculo IV Constantinopoli apparere presbyterum poenitentiarium, tempore persecutionis Decii imperatoris, institutum ad imponendam poenitentiam apostatis conversis eorumque confessiones recipendas, et a Patriarcha Nectario a. 391 abolitum ibi; sed haec institutio fuit paucorum locorum: v. gr. ecclesiae cartaginensis a S. Cypriano creata. Ideo usque ad saec. V, iam satis inchoatum, et variis in ecclesiis usque ad VI et VII progrediens, recipere confessionem et imponere poenitentiam publicam fuit ministerium exclusivum episcoporum vel, presbyterorum ab iis in eorum absentiis aut infirmitatibus delegatorum ad hos effectus<sup>21</sup>.

Diximus usque ad saec. V iam inchoatum, quia tunc temporis presbyteri quibusdam in locis incipiunt audire confessiones et inde vocari *sacerdotes* (haec enim vox *sacerdos* antea erat propria episcoporum<sup>22</sup>), eo quod presbyteris in hoc tempore iam commendatur munus paroeciale. Et hoc *initium curae paroecialis* presbyteris commissae fuit quoque *initium reservationis casuum* ad episcopos. Sicut enim naturale erat ut

<sup>17</sup> MANSI, 7, 902; Cf. quoque Conc. Agathense (a. 506) can. 15, ibid. 8, 327.

<sup>18</sup> ML 16, 468.

<sup>19</sup> *Epist. ad Theodorum Foroiuliensem*: ML 54 1011-1012.

<sup>20</sup> ML 56, 517. Cf. in eadem Epist. c. III, col. 515, c. VIII, col. 518 et videbis quod vox *sacerdos* significat *episcopum*.

<sup>21</sup> Cf. supra citata Concilia Ilerdense (a. 546) *Bracaren.* I (a. 561) et II (a. 572) et Hispalense II (a. 629) in quibus presbyteri adhuc non vocantur *sacerdotes* nec possunt audire confessiones sine delegatione episcopi.

<sup>22</sup> S. AUGUSTINUS, *De Civitate Dei* (scripta inter a 413-426) l. 20, c. 10 refert: «Presbyteri, qui proprie iam vocantur in Ecclesia *sacerdotes*.» Cf. FR. JOSE MORÁN, O. S. A., *Opera S. Aug.*, t. XVI-XVII (BAC, t. 171-172) p. 1471; P. BATIFFOL, «Usque ad Pontificatum S. Leonis Magni (aa. 440-461) inclusive sacerdotes, qui nominantur in textibus in quibus quaestio est de confessione, sunt sacerdotes *dignitate episcopali praediti*» (*Etudes d'Histoire et de Theologie positive*, 1<sup>er</sup>. serie [Paris 1902] p. 145).

presbyteri cum ecclesiarum cura simul iurisdictionem audiendi confessiones et remittendi peccata acciperent, ita etiam naturale fuit ut episcopi, poenitentia publica in desuetudinem lapsa, *obsolutionem criminum enormium et peccatorum gavissimorum* sibi reservarent, maxime si illa fuissent publica et scandalum inducerent. Hinc famosissimum Con. II. Lemovicense (a. 1031) dictum: «*Presbyteri de ignotis causis, episcopi de notis excommunicare est, ne episcopi vilescaat potestas*»<sup>23</sup>. Forte hic timor bilipendii propriae potestatis causa fuit, ut episcopi casus reservatos usque ad excessum multiplicarent, ut statim videbimus.

*Reservatio peccatorum occultorum.*—Haec reservatio probabiliter introducta est, cum libri poenitentiales in desuetudinem abierunt (CHRETIEN, *De poenitentia*, p. 390). Sodomiae peccatum, Londini late diffusum, fuit primum exemplum peccati occulti reservati (c. 28, Conc. Londinense, a. 1102, curante S. Anselmo habitu). Transactis quadraginta annis, in alio Conc. Londinensi (1142) adduntur primo reservato occulto incendium, furtum et alia peccata<sup>24</sup>. In Hispania Conc. Valentinum (a. 1255) sacerdotibus maioribus et discretioribus reservat in confessione maiora peccata, ut homicidium, sacrilegia, peccatum contra naturam, incestum, strupra monialium, vota fracta, injectiones manuum in parentes (CARD. AGUIRRE, *Collectio maxima Conciliorum Hispaniae*, t. 5, n. 134, p. 199, Romae, 1755). In Synodo Saintesi (Galliae) 1280 reservationi subiiciuntur impedire iurisdictionem seu potestatem sacerdotis seu parochi, mutilatio hominis, procuratio abortus, falsificatio documentorum (non papalium); et anno sequenti (1281) in Synodo Lamberti (Angliae) homicidium violentum et a. 1286 in Concilio Ravennae (Italiae) plura peccata iurisdictioni episcopali commendantur<sup>25</sup>. Eodem tempore apparent haec reservata in Germania, et aliis locis praesertim in insulis Mediterranei, Sardiniae et Siciliae.

*Multiplicatio reservatorum.* Episcopalis reservatio in hoc tempore ex triplici dimanabat fonte: a) *ex iure*; b) *consuetudine communi* et c) *ex consuetudine particulari*.

a) Ex *iure* tria saltem referuntur capita. 1<sup>um</sup>. proprio non est reservatio peccatorum, licet ad Episcopum pertineat: v. g. dispensatio votorum Sanctae Sedi non reservatorum; iuramentorum relaxatio; irregularitatum non papalium et excommunicationum maiorum absolutione.

<sup>23</sup> HEFELE-LECLERQ, *Histoire des Conciles*, t. IV, 2<sup>e</sup>. part., p. 958.

<sup>24</sup> BENEDETTO XVI, *De Synodo Dioecesana*, 1.5, c. 5: MIGNE, *Theologiae cursus completus*, t. 25, col. 943.

<sup>25</sup> Cf. I GRISAR, S. I., in notabili artic. «*Die Reform der Reservatio casuum*» unter Paspt Clemens VIII, in *Miscellanea Hist. Pontif.* XXI (Roma, 1959) p. 308.

2<sup>um</sup>. Peccatum incendiariorum qui dolose, domos, vicos agros etc., incidunt. Ii excommunicandi erant, sed eorum peccatum ante excommunicationem absolvebatur ab Episcopo, post excommunicationem a solo Papa (Ex 23, q. 8, cap. pessimam).

3<sup>um</sup>. Grave peccatum et scandalosum, propter quod publica inungebatur poenitentia, ut concubinatus notorius, peccata blasphemiae et alia.

b) *Ex consuetudine communi* in omnibus Dioecesibus reservebantur: 1º. Homicidium aut mutilatio actualis. 2º. Crimen falsariorum, qui in iudicio falso iuravit contra aliquem, vel verum tacendo vel dicendo falsum, qui etiam scripturas falsas faciunt (in his non agitur de litteris Apostolicis). 3º. Sacrilegia, aut rapinae rerum Ecclesiarum, homicidia, vel vulnerationes in loco sacro; 4º. Divinationes et incantationes, invocationes daemonum. Haec quatuor ex consuetudine communi Episcopis reservabantur.

c) *Ex consuetudine particulari regula* certa et determinata dari non potest pro omnibus, quia quisque Episcopus reservat quod suae dioecesi convenire videntur<sup>26</sup>. Iam vero reservata distinguntur et imponuntur non tantum ratione obiecti sed quandoque etiam ratione circumstantiarum, imo et non semel personarum quibus imponitur reservatio, quae diversae esse possunt. Ex hoc fonte in saeculis XIII ad XVI valde excrevit numerus reservatorum in Europa, praesertim in Hispania, in Gallia, Germania et Italia. In hac Patriarcha Venetus 29 casus reservatos, Episcopi Tortonae 30, Bitetti et Savonis 33, et Archipiscopus neapolitanus 41 in suo catalogo numerarunt<sup>27</sup>. Archiep. Toletanus 19 casus reservatos habuit (AGUIRRE, *l. c.*, n. 48, p. 259).

AURELIO YANGUAS, S. J.

(Continuará.)

---

<sup>26</sup> CARDINALIS TOLEDO, S. I., *Instructio Sacerdotum*, l. III, c. XIV. *De his a quibus proprius sacerdos non potest absolvere*, nn. 3-4, p. 217, Lugduni, 1504.

<sup>27</sup> Cf. GRISAR, *l. c.*, p. 318-315. Notare oportet Archiep. Neapolitanum praeter dictos 41 casus a se reservatos habere quoque alios 10 ex iure et consuetudine communi et alios 6 hoc modo distributos: quidam ex iis erant peccata cum censura reservata; alii, absolutio irregularitatum non papalium et excommunicationum maiorum; et alii, relaxatio iuramentorum et dispensatio votorum S. Sedi non reservatorum. In totum 57 casus reservati.